

ANN. XVI - FASC. III

# MENSE MARTIO MCMXXIX


# ALMAYA ROMA



# QVID QVID NON POSSIDET ARMIS RELLIGIONE

# TENET

C. DEL VECCHI



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

## Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

### PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Martio MCMXXIX

Fasc. III

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

### "MAGNUS AB INTEGRO SAECULORUM NASCITUR ORDO"

Haud equidem puto Plautii Laterani veteres illas, quae olim exstitere, aedes, factas deinde, post Constantinianam aetatem, Romanorum Pontificum sedes regias, post audita tot Ss. Synodus decreta plena sapientiae, maiora vidisse feriri foedera, aut audiisse verba sanciri, quam quae hoc anno, tertio Idus Februarias, hinc Petri Gasparri, Romanae Ecclesiae Patris Purpurati, inde Beniti Mussolini, Italorum Fascium Ducis, sollempni sunt ore dicta et signata calamis. Foedus enim sacrum conceptum est adeoque magnum, ut Ovidii poëtæ auspicia verius de eo usurpari posse credam, quam ille de carmine suo principe finxit:

Quaque patet domitis Romana potentia terris  
Ore legar populi, perque omnia saecula, fama,  
Si quid habent veri vatum praesagia, vivam.  
(Metamorph., in fin.).

De quo tamen foedere non sum conscientius, nec quemquam alium esse posse arbitror, utrum ad Ecclesiae fata plus virium sit adlaturum, quam ad augendam Italiae fortunam. Ut enim certum est totius humanitatis iam a ter millibus annorum domicilium maximum, idemque unum, in nostris semper constitisse finibus, ita

non est dubium quin unum idemque et fuerit totius christianitatis et sit, ex quo vide licet die Apostolorum sanguine et morte Urbem hanc nostram imperii caput redemisse et veluti nupsisse sibi Christus apparuit.

Cuius sacramenti tunc patuit denique arcanum, quum, Mediolanensi celeberrimo edicto, quo data Ecclesiae libertas est, Urbs Roma tandem veluti manumitti visa est a Caesare discedente Byzantium, ut non amplius iam sibi serviret, sed famularetur Christo. Atqui non secus hodierno foedere de eadem urbe Roma, sexaginta abhinc annis ab Italisch provincialibus capta novoque regno addicta, per pronuntiatam rursus et sanctam Vaticani oppidi libertatem, et vere communem eam esse patriam iterum edictum est, et sacrum omnium gentium domicilium regio iure suo retinere. Ita quae in factis nunquam esse desiverant, in iure quoque publicam recuperavere notitiam.

Quam videlicet libertatem, pro divina munieris necessitate, ab ipso captae urbis die, Romanus Pontifex vindicare non destitit et sibi et Ecclesiae. Non enim a primordiis ipsis principatus eius civilis, terrestris ditionis, sacro eiusdem muneri additae, alia fuit ratio nisi una haec, ut sedes suscepti a Christo sacerdotii pro gentibus universis et ea in urbe constueretur et ex ea emineret, quae non

modo nullius gentis in potestate foret, sed etiam, ut fuerat iamdiu communis imperii caput, ita omnium gentium aequa propria et videretur mater et esset.

Quam ferme divini consilii mentem Aligherius poëta quum intueretur, eam ipsam vidit Romani imperii condendi et veram fuisse caussam et terminum ultimum. Quare vel a primo Comoëdiae limine, magistrum et ducem datum sibi Vergilium, non tamen christianum, ita commonere de rei magnitudine est ausus, ut decebat virum fatorum nescium, quae tamen Aeneadum gestis ut finis ultimus fuerant constituta.

Hanc certe fata, eaque prope divina, non prius circa Vaticani templi tholum, quam in arce Capitolina a puerilibus annis legimus alte inscripta. Textilia enim duo, dona Medicaea, in ipso foro Capitolii e peristylis hinc inde sollemni quoque die exponi solent, quorum in altero scriptum est: «Roma communis patria»; in altero: «Arx omnium gentium». Qui uterque titulus non vana verba, neque historiae tantum amandandam profert laudem, sed et vivam et perennem; at ideo vivam, quia in opposito Vaticano colle is sedet adhuc et regnat Pontifex, cuius in ditione omnes gentes aut sunt aut certe erunt, quippe illius Regis gerat vices, quem Deus constituit: «heredem universorum, per quem fecit et saecula».<sup>4</sup>

Iamque mihi videntur ii tituli ideo conscripti ut cum civium tum advenarum in oculos proferant arcanum illud, quod Ioannes Pascoli poëta sensit nostro in solo latere:

*Namque aliquid Sancti sub terra vivere certum est  
Ipsi in Romae natali monte quadratae.<sup>2</sup>*

Atqui sanctum illud et sacrum rursus hodie per Lateranense foedus in apertum ita prodiit arcanum, ut iterum Romana

fortuna per Petri sanguinem cum Christo iuncta, renovato palam connubio prodeat ad eius regnum dilatandum, iuxta, illud: «Et adorabunt Eum omnes gentes terrae; omnes reges servient Ei».<sup>1</sup>

Viae namque hodie patent, quas tamen nullus homo pandidit, sed ipse sibi constravit Christus. Cuius *principatus* in monte holocausti, super morientis humeros, ita est triplici titulo publicatus, ut tandem nostra haec aetas ad eius vaticinii plenitudinem per bellum acerrimum prope accesserit.

Quidquid enim fuerit belli initium, is denique fuit eiusdem apertissimus exitus, ut essent videlicet singuli reges eversi, qui unam vel alteram e sacris civitatibus per eum titulum Christo concessis aut sibi abripuerant, aut ambiverant: Russorum Caesarem dicimus, Byzantii ditionem appetentem, Lutheranorum Caesarem Capitolinam arcem iam diu aventurem, Turcarum denique imperatorem Hierosolymae dominum, qui ultimus omnium et quasi clanculum ex historiae limine deiecutus est:

«Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus aeternitatis Eius».<sup>2</sup>

Haec, quae Habacuc propheta tot iam a saeculis cecinit, haec eadem nobis, ne scio utrum attonitis magis an laetis, recinenda subveniunt, at pleno tamen animo et magno; dum nova itinera patent rursus eaque tanta, quanta nulli unquam patuere patrum.

In quae igitur, auspice Christo, iam nos urgemur inferre pedem, sed non tam territum magnitudine sortis, quam ductu Dei tutum, magnorumque virorum: hinc nempe Romani Summi Pontificis, inde Fascium Italiae ducis, qui novis hisce fatis inchoandis iuncto foedere ad inveneri viam.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

<sup>1</sup> Hæbr. 1, v. 2.

<sup>2</sup> *Hymnus in Romam*, iuxta finem.

<sup>1</sup> Ps. 71, v. 11.

<sup>2</sup> Habacuc, 3 v. 9.

### IN AUSPICATISSIMAM VATICANI ET ITALICI REGNI PACIFICATIONEM

#### CARMEN SAPPHICUM.

*O dies salve irradiata tandem  
Sidere optato tenus hac fiderenter  
Luce præ ciuius novus urbe Roma  
Gignitur ordo.*  
*Prodis eventu celebranda miro;  
Vota quo complens diuturna gazas  
In gregem Christi ac Italos profundes  
Divite cornu.*

*Pontifex toto Arbiter orbe summus  
Rexque Sabaodus pepigere pacis  
Tramite illustris genio Beniti<sup>1</sup>  
Foedus amicæ.*

*Praecinet quisnam sibi quae auspicantur  
Subditi pro aris lucra pro focisque  
Cum Gubernantes famulentur aequi  
Legibus ambo?*

*O novum aevi curriculum! veretur  
Municeps legem Domini et colendo  
Patriam impense, Fidei Magistro  
Arctius haeret.*

*Nuptiae integre redeunt ad aram  
Quoque civili dominatu adempto  
In scholis pubi Catechismi opima  
Traditur esca.*

*Aemulaturis meliora vota  
Incolis claustræ reparata sacri  
Plena libertas propriæ ad replenda  
Munia status.*

*Foedus hinc sancit quoque vindicantem  
Iura creditis populi Actionem  
Rex uti Christus dominetur ipsi  
Legifer unus.*

*Icta Pax Romae radians olympo  
En potestates copulatur ambas  
Et suis donis utriusque regni  
Fata secundat.*

*Sic Deo reddens populum, Deumque  
Pontifex pacis populo sequester  
Fit salus tuta Italiae ipsiusque  
Gloria princeps.*

<sup>1</sup> Benitus Mussolini, Italicæ guberniæ administer primus.

*Plura quid? Sese magis alta tollunt  
Utpote a longe iuga comprehensa  
Singulo obtutu, vaga tum stupentum  
Lumina plectunt,  
Quo dies cedunt ita eo coruscum  
Nobile ostentum micat Urbe et Orbe  
Aere sculpendum per et affutura  
Saæcla superstes!*  
Mediolani.

CAESAR MAMBRETTI.

### PRO LINGUA LATINA

Praeclaro superioris<sup>1</sup> fasciculi capiti iisdem verbis inscripto, pauca, ad rem opportune confirmandam, mihi addere liceat.

Quis enim neget haec ad nostram aetatem maxime pertinere, ex quo instauratio studiorum, Gentile auctore, in Italia tot scholarum generibus latinam linguam patrio sermoni perdiscendo callide attribuerit quumque nova reipublicae moderatione, tam multa romanae antiquitatis in moribus institutisque, in sententiis leges admonentibus restituta cotidie videamus; tot autem artis thesauri in excavationibus tanto ardore domi susceptis et quocumque triumphalia Romæ signa processerunt, maximam nostri atque externarum gentium admirationem habeant?

Iucunde illa tenent aures ferventis vatis nostri: «omnia magna, augusta etiam nunc romana esse»; iam perculsis oculis tota appetet moles ingens «fulgentis Capitolii» tam foedis adiacentibus locis vacuefacti; rident iterum sereno Italorum caelo Fori, Circi, Thermae, tectoria, signa, nec quisquam divinare potest quae splendida miracula litterarum et artis Herculanum resurgens navesque Nemorenses in lucem redditæ nostræ reservent admirationi.

<sup>1</sup> Nempe mens. Ianuarii MCMXXIX.

Utinam nova papyra aliqua proferant tot antiquitatis operum, quae invida abstulit praeterita aetas!

Non sane celebrarentur furore illo antiquitatis studia praeteritis saeculis apud nos recolentium, qui tum ad summum fortunae gradum ascendisse putabant, quum « magnos eloquentiae magistros a Gallo-rum Germanorumque ergastulis liberavissent », quique, velut umbrae antiquorum patrum, inter monumenta atque ruinas semper vagabantur; sed certe in resurgente Italia una cum litterarum aucta copia gentis animos excitarent illaque humanitatis quae dicuntur vel sapientiae et eloquentiae studia apte firmarent, ad liberalem educationem atque elegantiam comparandam utique recolenda neque tantum ad sterilem rerum cognitionem.

Latina lingua, quae, ut verbis utar clarissimi nostrarum litterarum scriptoris, terrarum orbem beneficiis et amore subiit potius quam armis subegit, quae mutationem sanxit Urbis in Orbem, iure Laurentio Valla maxima visa est Romanorum gloria.

Quae quidem brevis et pressa in titulis, edictis, communibus locis; ampla, gravis et ornata in oratorum scriptis, magnifica in versibus imperatorum populum extollentibus, si graecae cedit elegantia, copia, facilitate et numerosa versuum concinnaque suavitate, haud dubie orationis vigore et significatione praestat maxime apta ad divinam voluntatis incitationem esse videtur.

In pristinum igitur revocetur honorem pulcherrima lingua Vergilii et Ciceronis, ut Pomponii Leti temporibus, qui numquam loquebatur nisi latine idemque purissime et emendatissime, praeculari autem illius qui amoris delicias et amoenitatem cecinit Parthenopes sinus, vel « homericu adulescentis », ut vulgo est appellatus Politianus ille, Italorum Athenarum praecipuum ornementum.

Iam pridem vero docta Bononia fero-  
cesque Brutii dederunt semperque dant  
lectam antiquitatis cultorum manum, qui  
carminum venustate Vergilii Horatique  
numeros referant, quique in certaminibus  
nostris externisque praemia laudesque  
consequantur, quae ubique comprobent  
Italiae principem locum in avorum lingua;  
sed h̄c Romae, in augusta Pontificis sede,  
ubi praeter monumenta aēr ipse videtur  
romanitatem spirare, h̄c, inquam, hone-  
stissimum resurgentis humanitatis studio-  
rum domicilium exsistat inque Capitolii  
fastigio dignissimis renovetur altissimus  
honor qui iam summo contigit Arretino.

Ad tantam humanitatis studiorum in-  
staurationem scholae maxime antiquis  
utriusque linguae scriptoribus dicatae  
nonnihil afferre debent, maiorum linguae  
amorem studiumque commovendo, adeo ut  
discipuli, suis ipsorum soluta oratione vel  
carminibus scriptis, illorum aemulentur  
artem atque in ipsis nostris aliarumque  
gentium latinitatis certaminibus vel cum  
horum peritioribus studiorum fidenter  
contendant.

Aptissime quidem in recenti oratione  
summus Italiae studiorum Moderator lati-  
ni sermonis puri emendatique studium  
maxime dixit industrieque se curatu-  
rum.

Faustum sit hoc auspicio renascentis  
fortunae linguae illius, qua Iohannes noster  
Pascoli desideratissimus gloriam suam iam  
tantam italicici vatis fere superavit, valeat-  
que Schola ad sacram hanc flammatum  
vehementer alendam, ut decursu temporis,  
rebus faventibus in magnum exardescat  
incendium, votumque tam diu a doctis  
conceptum tandem perficiatur, ut ille Nati-  
tiani versus creberrime usurpatus, quo  
omnes gentes in Romam consociatas praed-  
icaverit, fiat vox communis latinae linguae  
ab omnibus gentibus in doctrinae regno rite  
assumptae.

NAZARENUS CAPO.

### QUADRAGESIMALES DOMESTICI MORES

Quaedam in mores gentium saepe vi-  
demus illata, ritu suo invalescentia vel  
adversus mores ipsos, vel adversus ritus  
caeremoniasque sollemniores, quibus eae-  
dem gentes obediunt, et quibus ducuntur.  
Unde haec semel manaverint, quomodo  
irrepserint, qua de causa, recepta semel  
a paucis, apud reliquos postea convaluer-  
int, difficile scrutatu est, difficile dictu,  
quippe huiusmodi fere omnia serpentum  
rationem sequantur, quibus praecipuum  
est caput abscondere, incolume a quavis  
iniuria servandum.

Non ultimum in his locum tenent, quae  
tempore quadragesimali partim dome-  
stico, partim publico ritu, suscepta a maiori-  
bus traditione, coluntur; immo ea quae  
videntur domestica apud singulos, quum  
omnes teneant, publica et ipsa quodam-  
modo nuncupanda iure putamus. Nonnulla,  
quae apud nos huiusmodi sunt, hodie per-  
sequi placuit.

Ubi « Cinerum » dies illuxit, ancillis, si  
domi sint, pueris puellisque suadentibus,  
si ancillae desint, chartae folium propo-  
nuntur, et in eo figura quaedam muliebris  
exprimitur cerula vel atramento, supremis  
tantummodo lineis designata; huic autem -  
atque haec rei summa et caput - septem  
pedes, non duo tantum, constituuntur. Si  
novi hi minusculi Urbinates plurimum  
calleant, vel sese in pingendo callere pluri-  
mum arbitrentur, dexteræ huius simulacri  
feminei pisces regendos addunt a rana ad  
cete, uti possunt; sinistrale vero regendum  
canistrum, seu copinum credunt horten-  
sibus refertum divitiis, a rapa ad Catonia-  
num illud « nepente », caulem, scilicet  
brassicas et olera huiusmodi; delineata  
haec, depicta omnia intra delineantium ac  
pingentium peritiam. Sed quia talis effi-

giei confectio sollempne aliquid ac diuturnum domi domuque profert, non desunt in ancillis quae, futuri prudentes, iam ab inde, quae magis idonea effigie futura sint, comparaverint. Ubi vero amitae, ubi  
aviae adfuerint, quin etiam et avunculi  
interdum et avi, nam bis pueri senes,  
quae dicam iamdiu comparata sunt. Nam  
inter figuras, religione magna omne genus  
piscium, omne hortensium herbarum ge-  
nus asservant, forifice separantes atque  
excidentes a reliquis, et cura haec libris,  
quos interdum figuræ exornant, pestis,  
ruina, depopulatio est, praesertim si tabu-  
las historiae naturalis ostendant. Haec  
omnia igitur filo insuta, pendentia, ut ac-  
cedentibus, videntibus pateant quo maxime  
possint, si piscatoria fuerint, dexteræ ad-  
duntur; si hortensia, sinistrale; et muliebre  
illud « septempedanum » simulacrum -  
(ne quis credit me de oppido dicere!) -  
parieti affigitur, plaudente et assidente  
puerili omni comitatu, subridentibus ma-  
tribus, maioribus natu omnibus, qui in  
primos suos praeteritae pueritiae annos  
redire sibi videntur. Iam et quaedam inter  
pueros, itemque inter ancillas - cur non  
dicam inter matres, et amitas et avias? -  
aemulatio est, ut quae cuique domus pul-  
cherrimam, ditissimam effigiem Quadra-  
gesimæ habeat - hoc enim nomine simu-  
lacrum illud appellant, - et piscibus ma-  
xime ornatam, caulibus, brassicis, intybis,  
rapisque maxime armatam ostentet.

Quaeres h̄c, humanissime lector, locum,  
parietem, sacrarium, solium in quibus tot  
praeparata curis effigies collocetur. Ne  
mireris; in coquina, raro vel nunquam  
in caenaculis, scilicet ut coquendis confi-  
ciendisque praesit obsoniis, ne quid in ea,  
quod ex carnibus sit, inducatur, immi-  
sceatur, nihil praeter herbas, fructus et  
pisces adhibeatur; nemini enim, si aegro-  
tos et aegrotantes exceperis, toto quadra-  
gesimali tempore, carnium comestio olim  
concedebarunt. Sed, ne spatum scribenti



desit, quae ad hunc ritum domesticum attinent cito prosequamur. Veniente post «Cinerum» die, pueris iterum scholae patebant; nemo deerat, nam unusquisque et unaquaeque ex puellis et pueris sua Quadragesimalis illius figurae pulchritudinem et merita et ornamenta celebratrus erat, amplificationibus et mendaciis - (concedamus hoc sine crimine aetati, quam experti sumus) - additis et superadditis sine more modoque. Redeuntium e scholis domum, puerorum puellarumque narrationes curiositatem amitarum matrumque titillabant, et... in adventantem plerumque Dominicum proximum diem visitatio Quadragesimarum indicebatur; interdum etiam, urgentibus filiorum nepotumque morae impatientium clamoribus, maturabatur. Nec sine lucro quodam, pro pueris praesertim; nam visitata quaeque domus vinum et bellaria quaedam, spiras, crux, placentulas oleo, farina, astaphi strobiloque confectas visitantibus urbanissime offerebat, quae tamen unciae pondus non excederent simul, ut intra ieunii legem essent et accipientes et dantes. At quid, queso, tot unciae terque quaterque repetitae praestabant? Nonne librae dimidium? Nonne libram?...

Interea pueris, puellis, ancillisque festum erat ingens in coquina ante illum parietem, coram illo Quadragesimae simulacro, accensis circa cereolis, lucernulis, ut pulchrius videntibus et mirantibus appareret. Si hoc Dominico die fieret, puer, domi dominus, postquam contemplantium videndi amor expletus esset, forcipe armatus sedile ascendebat, et pedem unum a simulacro amputabat; sortibus in vasculum missis, vel communi sententia audita, unum ex piscibus, unum ex hortensibus pariter detrahebatur: pes, piscis, hortense flammis tradebantur arsura. Sollemnitas absoluta erat, sequenti Dominico die itera, donec ad Sabbatum maioris Hebdomadae ventum esset.

Causae huius ritus vel plurimae. In

At dimidiante Quadragesimali tempore, quo die semper quinta feria est, et pueri a scholis vacant - hoc super omnibus unum! - nova visitatio erat, quia tunc non pes, sed simulacrum integrum a capite ad talos medium findebatur, nec tamen abscissa comburebatur pars, sed reliquae adhuc existenti supponebatur. Causamne quaeris? Sabbato Sancto focus ante portam Ecclesiae ex silice trahitur, rogus accenditur, benedicitur flammis. In hasce pueri, relaturi domum benedictos carbones, et domestici cum iis, simulacrum chartaceum Quadragesimae, iam reductum ad assem, coniiciebant. Magna erat exsultatio abeuntium effigies illas praeforrentium, magnus clamor, imo magni clamores adeuntium ignem, magnis pariter, ab his qui priores adiverant, vocibus exceptorum, magni plausus quum proiicerent in flamas, maxima iucunditas pariter dum, benedicto igne, carbones domum referrent, quibus extinti penitus foci restituerentur, et laetissimum prandium, quia resurrexerat Dominus, praepararetur a matrefamilias... Prandum! Hoc pueris ante omnia. Et postea ex illo igne succenderent cerei, qui mensae illucarent, obsonis refertae gratis simis venturo Paschatis die comedendis, scilicet ovis, agno, placentis, caseo tum primario, tum recocco, isiciis, pernis, lucanicis. Sacerdos veniet, benedicet appositis, pacem domui benedicens adprecabitur, perque conclavia rorans aspergine sancta procedet comitante matre, comitantibus natu maioribus; et interim puer, ad custodiam appositorum relicta ne feles surriperent, ipse, felis vicem gerens, aliquid clam e placentis libat, aliquid ex ovis, aliquid ex resectis, aliquid...; prouti potest, fruitur libans e dapibus onerantibus mensam. Quid si redeat mater inopina, si avia, si amitula cara? Tortis furem intuebuntur oculis, et simul arridebunt, memores sui; namque idem illa in aetate fecerunt.

pueris expectatio feriarum, quae ad Pascha sunt; quadragesimali nam tempore vehementiores quotidiana scholae disciplina, labor, et severitas. In hominibus non leve incommodum percipiebatur ex ieunii leibus. In omnibus denique exspectatio tempestatis melioris, nempe veris una cum diebus Paschatis reddituri. Hinc desiderium Quadragesimae absolvenda, complenda, praeterunda.

Quum autem nos coalescamus animo et corpore, hinc omnia, quae circum sunt, modo inclinamus in spiritum, modo in corpus retrahentes referimus. Quadragesimale tempus acceptabile virtutibus animi praedicatur; huius eximi angustis caro desiderat. Utrumque ritus hic exhibet, nosque libenter ignoscimus pueris ea, quae concedimus aetati, libenter etiam viris, qui resurrectionis Dominicæ laetitiam exoptant.

At haec magnis in urbibus ferme penitus obsoleverunt; vix, neque integra, quibusdam in vicis et parvis oppidis restant. Nos ultima memoramus illa, qui praesentia olim vidimus.

P. d. V.

feras; succurras; praesto sis; praesens sis). - Ne mihi desis. - Auxilio (subsilio) mihi sis (venias). - Suppetias feras. - Opem porrugas (tendas).

Laboranti mihi subsidio curras (occurras). - Ad opem periclitanti ferendam advoles.

A te deprecor (precibus contendeo), ut... - Preces tibi adhibeo de hac re. - Ad te manus tendo pro hac re. - Tibi supplex sum, ut... - Quam suppliciter possum rogo, ut mihi subvenias in hac re. - Hoc in me, queso, confer gratiae, ut... - Singulari studio (enixe) a te peto, ut... - Quam possum studiosissime a te contendeo, ut... - A te maximopere (etiam atque etiam) postulo (peto quaequo) ut... - Sic a te peto, ut maiore studio, magisve ex animo petere non possim. - Precibus tecum ago quam possum diligentissimis, ut...

Obtestor (obsecro) te, ut me in hac re non deseras. - Ego te per tuam pietatem ac fidem oro et obtestor, ne me destitutum esse patiaris.

Id ego summi beneficij loco ponam (in loco beneficij tribuam; habebo; numerabo; ducam). - Hoc inter beneficia maxima referam. - Hoc apud me non vulgaris gratiae locum habebit (obtinebit). - Ita credam tulisse beneficium singulare. - Ita credam accepisse gratiam tantam, quanta esse potest maxima.

Adhibe erga me istud beneficium (hoc beneficium adhibeas). - Me hoc beneficio ornes (afficias; obstringas; obliges; complectaris; ageas; honeste devincias). - Mihi bene (benigne) feceris (gratificatus fueris; commodaveris; munus praestiteris; beneficium tribueris), si... - Apud me beneficium posueris (collocaveris), si... - Benefice mecum egeris, si... - Benevolentiam (voluntatem) tuam erga me probaveris (ostenderis), si... - De me bene meritus fueris, si... - Me bonis et muneribus cumulaveris si... - Tua erga me beneficia perpetuaveris (perennayeris; non intermisericordis), si... - In

## COMMUNIA VITAE

### Auxilium imploratur.

- Amo te de hac re, nempe ut... - Potesne ad istud me adiuvare, ut?... - Id, amabo, adiuva me. - Praebe mihi te adiutorem. - A te auxilium peto (opem imploro; adiumentum quaero). - Ad te (ad operam tuam) confugio, ut... - Te appello (imploro; invoco) ut...

Me subleva (erigas; fove; confirma; sustenta) in hac re. - Manum auxiliariam (praesidiariam; subsidiariam) mihi praebet. - Mihi optuleris (adsis; subvenias; opem

me beneficia priora per novum hoc cumulabis (coagmentabis).

Beneficium apud gratum animum collocabis (pones). - Beneficium hoc perpetuo memoria tuebor (tenebo; custodiam; servabo). - Beneficii huius tui memoria aeterna vigebit. - Semper in animo et in mente memoria huius beneficii exstabit (haeredit; permanebit). - Beneficii huius memoria ex animo nunquam delebitur (obructur; obscurabitur; extinguetur).

De tuo beneficio Superi praemium (pallam; pensionem; remunerationem; retributionem) pro meritis dabunt (reddent; tribuent; deferent; persolvent). - Labores tuos de hoc beneficio Superi compensabunt.

Magna sunt bene agentibus praemia a Superis proposita (constituta). - Eos omnes qui recte agunt merces amplissima manet. - Fructum certum recte factorum, vir optime, uberrimum ac praestantissimum feres (percipies; colliges). - Praeclaram honestamque vitam in ceterorum auxilium deditam res utilissimae consequentur. - Iis qui bonum colunt (excolunt) egregia praemia pro certo expectare licet.

Beneficio tuo respondebo. - Beneficio tuo per beneficium gratiam reddam (rependam). - Gratiae tuae satisfaciam. - Officiis, quum potero, compensabo (aequabo; remunerabo) culpa enim (infamia) grati animi careo (vaco). - Beneficia accepta, suo tempore solvam; vitii enim ingratitudinis expers sum (ab ingrati animi crimine longe absut). - Beneficiorum onere, vix datum fuerit, me levabo (laxabo; liberabo). - Probabo me beneficiorum memorem et gratum.

(Ad proximum numerum).

I. F.

*Alterius qui vult oculis extergere labem,  
Ex propriis oculis eruat ante trabem.*

*Noscitur ex propriis moribus omnis homo.  
E plumis, e cantu dignoscitur avis.*

## COLLOQUIA LATINA

### Lusus velitaris.<sup>1</sup>

PETRUS. - Heus, heus! Adeste; suntne qui lusu velitari cupiant nobiscum contendere?

PAULUS. - Hic mihi lusus arridet praeter ceteros.

IACOBUS. - Etiam mihi: corpus exercet, famem exacuit.

ADULFUS. - Agendum, discurrendo obsonemus famem.

PHILIPPUS. - Imo vero frigus depallamus: totus algeo.

PETR. - Toton aestuabis e vestigis; hoc in ludo te adde socium.

PHIL. - Addam enimvero: eo accurrebam.

PETR. - Convenerunt sodales bono numero: auspicemur.

PAUL. - Nondum; etiam unus ad duodecim deest. Accersam ultimum. Heus, Barnaba, unicus desideratur collusor; placet velitemur curriculo?

BARNABAS. - Oppido lassus sum ab hesterno certamine; vereor ut valeam.

PETR. - Non meministin' clavum clavo quod aiunt? Age, segnitiam excute.

BARN. - Tentabo tua gratia: aggrediamur.

PETR. - Deamo te ob tuam illam facilitatem. Proximum est ut duces partium eligamus. Quos censemus strenuissimos, socii?

BARN. - Tu, Petre, alterius cohortis dux esto.

PETR. - Quid si tu ipse, Barnaba?

BARN. - Non ausim suspicere.

THEODORUS. - Nos Petro Paulum opponimus.

PAUL. - Metuo ne congressus sit impar. Tamen subibo aleam, tametsi Petrus sit cursor velocissimus.

PETR. - Imo tu, Paule, cervum cursu antevolas.

PAUL. - Experiendum est. Sortiamur quis commitones prior eligat.

PETR. - Fiat. Nummum in altum eiaculari.

PAUL. - Utrum mavis faciem pronam an supinam?

PETR. - Euge! secus accidit; facie signatum latus prouum cecidit, et mihi ex sententia; mea est optio: Barnabam mihi primum assumo.

PAUL. - Contra statuo Hieronymum.

PETR. - Noster erit Iacobus.

PAUL. - At meus sit Adulhus.

PETR. - Theodore, accede ad nos.

PAUL. - Vah! tu etiam, Eugeni, superes? Quid te oculis? Te maxime cupio.

PETR. - At ego te, Philippe; praestosis.

PAUL. - Nec Ioannes aspernendus est: veniat.

PETR. - Committones, horum uter est pedibus celerior?

IAC. - Iginus longe est celerrimus.

PETR. - Accedat huc.

PAUL. - Tu, Friderice, mihi es novissimus, sed non eris in cursu: te novimus.

PETR. - Priusquam lusum auspicemur, promulgentur huius certaminis leges, ne quis harum ignarus noceat forte fortunae, dum prodesse voluerit.

PAUL. - Recte mones.

PETR. - *Lex prima:* Intra castra quis ab hostibus et ante et post excursiones tutus esto. *Secunda:* Qui prior ad lacessendum hostem e castris procurrit,

eum si forte quis adversariorum insequens attigerit, captivus in hostiles carceres abducitor. *Tertia:* Tantis per captus apud hostes persistito; dum eius commi-

litonum aliquis manum extensam aut aliquam vestis ipsius partem attingat: tum ad suos liber ei reditus esto. *Quarta:* Hostis nullum ex hostibus, praeter eum qui ante se proxime castris egressus est, legitime capito. *Quinta:* Si, dum fiunt excursiones, cohors altera stativa sua ab omni praesidio vacua relinquit, liceat ab hostibus occupantur. *Sexta:* Interceptis castris aut virtute aut dolo, item captis universis, victoria parta esto. *Septima:* Si qua controversia inciderit circa lusum, locus detur disquisitioni. Interim, ne qua fraus interveniat, omnes pariter a lusione abstinento. His legibus standum est cuilibet.

PAUL. - His legibus inchoemus. Verum assignanda prius utrique cohorti castra et carceres.

PETR. - Nihil magnopere refert utro loco figamus castra: tibi, Paule, eligendi optionem defero.

PAUL. - Quoniam defers, accipio. Nos ad hanc columnam stationem eligimus.

PETR. - Nos ad illam ex adverso arborum castra locabimus. Carcer esto noster istaec columna tertia.

PAUL. - Noster porro istaec ianua.

PETR. - Videsis, ut aequali spatio carcer a stativis vestris absit ac noster a nostris.

PAUL. - Nihil admodum est discriminis.

PETR. - Sane aliquot passuum intervallum videtur propior: tamen ex hoc tibi largiar.

PAUL. - Sit ita. In stationem quisque suam se recipiat, bonisque rem avibus ordiamur.

PETR. - Eia, Iacobe, primus hostes lacesse; tu, Philippe, subsequere. Vos, observate periclitantes.

PAUL. - Quo simul omnes ita proruitis? Vicissim excurrite.

PETR. - Igine, tu fer suppetias Barnabae: periclitatur. Accelerata. Quid hoc rei? Captivus e nostris primus abducitur.

<sup>1</sup> EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

IGINUS. - Eum brevi in libertatem vindicavero.

ADULF. - Age, Barnaba, mea tu praeda es; carcerem subi; hic consiste.

BARN. - Variat et mutat vices fortuna.

EUGENIUS. - At ego Philippum apprehendi; nec vult sequi in carcere.

PHIL. - Tetigistin' mei quidpiam?

EUG. - Tetigi vere.

PHIL. - Nego enim vero.

EUG. - Non ego tuum a tergo thoracem attigi?

PHIL. - Non, quod senserim.

EUG. - Proxime aberat ut manu te sisiterem.

PHIL. - Non tibi assentior.

EUG. - Quid altercatione est opus? Spectatores consulamus.

PHIL. - Placet: illorum stabo iudicio. Adulfe, exquire.

ADULF. - Quid censetis, spectatores? Non Eugenius a tergo Philippum ad vescem attigit?... Aiunt universi attigisse.

EUG. - Sequere huc, age ad carcerem.

PETR. - Tandem et vos primi laccessite: nos identidem excurrimus.

PAUL. - Euge, Petre; hac me insequere.

PETR. - Haud feres impune; non effugies.

IGIN. - Philippe, tu ad captivos advigila, ne quis eos inopinato liberet.

THEOD. - Dixisti in futurum? Captivos reduco.

FRIDERICUS. - Fit ab adversariis nobis iniuria; peractis excursionibus suis non revertuntur in campum. Hieronyme, legatus ad eos accede: ludant legitime, vel a ludo desistant; nobis non placent fraudes.

HIERONYMUS. - Sic fuero. Heus, heus, socii, tutone mihi stationem vestram adire licet?

PETR. - Tuto. Quidnam rei est?

HIERON. - Nostri mala vos fide ludere asserunt.

PETR. - Quid ita vero?

HIERON. - Quoniam intra stativa non regressi cursum repetitis.

PETR. - Id si commissum est, nescio: in posterum, cavebitur. Agendum, commilitones, ludum redintegremus. Vivi iam estote: nostra est victoria! - Viden', Barnaba, universos hostes e castris excursisse? Vacua occupa; sed quasi aliud agens, a tergo incautos circumveni.

IACOB. - Meus es, Hieronyme.

HIERON. - Imo, Iacobe, tu meus. Posterior ego statione egressus sum; tu prior.

IACOB. - Non desines iurgare?

HIERON. - Non ipse desines? Iamiam praeteriens in castra redivi; recens te insequutus sum.

IACOB. - Quis vidit? Quem testari potes?

HIERON. - Quemvis adstantium.

IACOB. - Itane est, Theodore, ut dicit?

THEOD. - Ita est: illi proximus aderam.

HIERON. - Dolo igitur malo usus est.

IAC. - Dolus an virtus quis in hoste requirat? Abi, sis, ad carcere.

PAUL. - Alternis provocemus: praecursorem emittite etiam vos aliquando.

PETR. - Ultimum emisimus te prius.

PAUL. - Salva pace, Eugenius noster. iamiam rediit: vix a cursu animam trahit.

PETR. - Quid rixamur? Friderice, fac unum curriculum. Videmur hostem metuere.

FRID. - Hoc agam.

PAUL. - Tu ad eos una contende, Adulfe; sed a fronte, ne ad Fridericum advertant a tergo insidiantem.

FRID. - Io triumphe! Castra hostilia victor invasi: capti estis ad unum omnes. Paule, quoniam afficiuntur victi supplicio?

PAUL. - Dimittantur. Sufficit nobis Victoriae gloria.

*Qui struit insidias alteri, sibi damna dat ipsi.*

*Longum iter est per praecepta; breve et efficax per exempla.*

## ANNALES

### Foedus Lateranense.

A loco ubi a legatis cum auctoritate subscriptum est, a Pontificiis scilicet aedibus ad S. Ioannis in Laterano de Urbe, nomen sumpsit auspiciatissimum foedus inter Apostolicam Sedem et Italicum regnum, de quo in superiore fasciculo diximus, et cuius etiam hodie, alias, in hoc commentario, momentum maximum, patriam nostram supergrediens, demonstravimus. Nihil aliud nobis restat, quam ut hic eius terminos summatim referamus.

Duobus distinctis partibus constat, quarum altera politicum propriæ foedus, dici potest; altera civilis pactio, seu, prout vulgo dicunt, *concordatus*, est.

In politico foedere ante omnia opportunitas declaratur quamvis discidii causam auferendi inter duos contrahentes, atque principium confirmatur in lege de Italico imperio iam ab anno MDCCXLVIII positum, Catholicam, Apostolicam, Romanam Religionem unam esse religionem Italici regni.

Deinde plena recognoscitur Apostolicae Sedi proprietas, itemque sola et integra potestas atque suprema iurisdictio in Vaticano, quemadmodum nunc appetit; ideoque Vaticana urbs creatur, in qua nulla erit Italici gubernii intercessio, neque auctoritas ulla, praeter S. Sedis auctoritatem.

Sequuntur eiusdem civitatis finium descriptio, normaeque de eius administratione deque multis rationibus, quae inde intercessuræ cum Italico statu erunt circa publica officia, subditos, variasque immunitates et privilegia, neque non circa legationes utrinque statuendas.

Ex parte sua Apostolica Sedes profiteatur velle se esse, et nunc et in posterum,

ab aliarum civitatum temporalibus aemulationibus alienam, absque coetibus inter gentes qui de iis indicti fuerint, nisi forte contendentes partes uno animo ad Ecclesiae pacificam missionem confugiant, atque salvo ipsius Ecclesiae iure potestatem suam de moribus divinisque rebus interponendi. Itaque Vaticanae urbis territorium neutrius partis, et inviolabile semper atque omnino erit.

Apostolica denique Sedes affirmat hoc foedere factum esse satis necessitati sue libere plenoque suo iure providendi pastorali Romanae Dioecesis, Catholicaeque Ecclesiae tum in Italia tum apud universum orbem gubernio. Sollemniter pariter declarat omnino atque immutabiliter per idem foedus compositam esse quaestionem, quae «Romana» nuncupata fuit; seque Italicum regnum comprobare sub Sabaudiae rege atque Romam, Italici regni caput.

Ad «Concordatum» quod attinet, primum, ob Romae, Episcopalis Summi Pontificis sedis catholicæ orbis centri, sacram naturam, Italicum Gubernium promittit se curaturum, ne quid in ipsa urbe contra sacram naturam ipsam fiat. Deinde regulæ statuuntur ut pastorale Ordinariorum et cleri ministerium libere exerceatur; dies festi numerantur ab ecclesia constituti et ab Italico statu recogniti; definitur quomodo apud exercitum itemque secundi ordinis scholas spirituali auxilio in posterum provideatur; praeterea Episcoporum iuramentum, cautiones tum de dioecesum circumscriptione, quo aptius finibus civilium Italicarum regionum respondent, tum ad ecclesiasticas Italicas leges reformandas, ut cum foedere nunc icto congruentes fiant: in his peculiaris nota dignae quae iuridicam personam religiosis congregationibus tribuunt; quae liberam bonorum ecclesiae gestionem assignant; quae matrimonii sacramento, prout a canonico iure consecratum est,

civiles effectus sanciunt; quae denique societas habent ratas, a catholica actione manantes, actionemque suam, iuxta S. Sedis praescripta, praeter politicas partes atque sub directa Ecclesiae hierarchia ad principia catholica diffundenda et efficienda exercentes.


Quum autem sub finem partes promittant fore, ut si quae difficultates ad «cordatum» interpretandum oriantur, eae communi consilio amice componantur, non est dubium quin ex Lateranensibus pactis novi pacifici dies illuxerint, quorum vis per quam salutaris Italiae fines cum universi orbis magno beneficio longe, uti diximus, praetergrediatur. Quod quidem a Divino praesenti Numine ex animo imploramus!

\*\*

### Mexicanum civile bellum.

Idque in primis pro Mexicanis illis fratribus nostris, in horroribus cruentis civilis belli versantibus; quod, ad ceteras miseras, hisce diebus vehementius exarsit, cuiusque fortuna anceps, dum scribimus, habetur.

POPULICOLA.



## ROMA SACRA

**Constitutio Apostolica de liturgia deque cantu Gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis.**

De magni momenti huiusmodi argumento sub die xx mensis Decembri superioris anni MCMXXVIII edita est a Ssno D. N. Pio Pp. XI nova Constitutio Apostolica.

In qua quidem primum definitur quanti de Liturgia faciendum sit; quo sub nomine Religionis caeremoniae, ritus, formulae, pre-

ces, cantus comprehenduntur. « Res utique sacra est liturgia; per eam enim ad Deum evenimus ipsique coniungimur, fidem nostram testamur nosque gravissimo ei obligamus officio ob accepta beneficia et auxilia, quibus perpetuo indigemus. Hinc intima quaedam necessitudo inter dogma et liturgiam sacram, itemque inter cultum christianum et populi «sanctificationem». Atqui «communes supplications primum opus Dei, deinde officium divinum appellatae, quasi debitum cotidie Deo solvendum, noctu dieque olim fiebant, magna quidem christianorum frequentia. Ac mirum quantum iam inde ab ipsa antiquitate temporum ingenuae illae cantilene, quae sacras preces actionemque liturgicam exornabant, ad fovendam in populum pietatem contulerunt. Namque in veteribus praesertim basilicis, ubi episcopus, clerus populusque divinas laudes alterne concinabant, non parum liturgici cantus eo valuere, ut plurimi ex barbaris ad christianum civilemque cultum, historia teste, adducerentur. In templis catholicae rei oppugnatores altius sanctorum communionis dogma didicerunt; quamobrem Valens imperator, arianus, prae divini mysterii maiestate, a S. Basilio peracti, stupore quadam insolito correptus, animo deficiebat; ac Mediolani S. Ambrosius ab haereticis arguebatur se turbas liturgicis cantibus fascinare, quibus quidem percusus Augustinus consilium cepit Christi fidem amplectendi. In ecclesiis deinde, ubi ex tota fere civitate chorus ingens fiebat, opifices, aedium fabri, pictores, sculptores, litterarum ipsi studiosi, per liturgiam ea theologicarum rerum cognitione imbuebantur, quae hodie ex illius aetatis mediae monumentis tantopere eluet ».

Ex his intelligitur cur Romani Pontifices tantam adhibuerint sollicitudinem in liturgia tutanda et custodienda; et quemadmodum tam multa erat eis cura in dogmate aptis verbis exprimendo, ita liturgiae sacrae leges ordinare, tueri et ab omni adulteratione præservare studuerint. Itemque patet cur Sancti

Patres liturgiam sacram (seu *supplicandi legem*) verbis scriptisque commentati sint; et Tridentinum Concilium voluerit eam esse christiano populo exponendam et explicandam. Quod vero ad nostra haec tempora attinet, Constitutio revocat quae a Pio X, de musica sacra praesertim, cauta sunt, querens quod quibusdam in locis eae leges sapienissimae plene non fuerint in usum deductae; ideoque optati fructus inde non percepti. «Namque probe novimus — scribit Pontifex — vel dictasse aliquos se eis legibus non teneri quae tam sollemniter edictae fuerant; vel nonnullos, primum quidem iisdem paruisse, sed pedetentim ei musicae generi indulisse quod est omnino a templis arcendum; vel denique alicubi; quum praesertim saecularia sollemnia in memoriam celebrarentur musicorum illustrium, causam inde quae sitam esse quaedam opera in templo exequendi quae, quamvis praeclera, quum sacri loci et liturgiae sanctitati non congruerent, in ecclesiis nequaquam erant adhibenda. At tamen, quo clerus populusque eis legibus et praescriptiobus, quae sancte, inviolateque in Ecclesia universa servandae sunt, religiosius pareat, nonnulla heic adiicere placet, quae nempe hoc xxv annorum spatio<sup>1</sup> experiendo didicimus.

Idque eo libentius Nos facimus quod hoc anno non solum musicae sacrae restauracionis, quam diximus, recordatio, sed etiam memoria monachi illius Guidonis Arretini celebrata est; qui quum circiter abhinc annos nongentos, Romani Pontificis iussu, in Urbem venisset, ingeniosum illud suum inventum protulit, quo liturgici cantus, iam inde ab antiquitate traditi, et facilius evulgarentur, et, ad Ecclesiae artisque ipsius utilitatem ac decus, integre servarentur in posterum. In Lateranis aedibus, ubi antea S. Gregorius Magnus, monodiae sacrae thesauro — hereditate quidem monumentoque Patrum — collecto, digesto et aucto, Scholam illam percelebrem,

ad veram liturgicorum cantuum interpretationem perpetuandam, tam sapienter constituerat, Guido monachus experimentum egit mirifici sui inventi, coram romano clero ipsoque Pontifice Maximo; qui, rem eximie probando meritaque laude prosequendo, hoc effecit ut eadem innovatio longe lateque paulatim propagaretur, atque omne musicae artis genus magnum inde caperet incrementum ».

Itaque Pontifex praecipit quae sequuntur:

I. Quicumque sacerdotio initiari cupiunt, non modo in Seminariis sed etiam in relijosorum domibus, iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur; propterea quod facilius tum ea perdisunt, quae ad modulationes sonosque pertinent; et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem corriger queunt, quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent. Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est, ac deinde in gymnasio et lycaeо continuanda; ita enim qui sacros ordines suscepturi sunt, quum iam cantus periti sensim sine sensu facti sint; in theologicorum studiorum curriculo, sine ullo quidem labore ac difficultate, altiore illa disciplina institui poterunt, quam verissime *aestheticam* dixeris monodiae gregorianaе ac musicae artis, polyphoniae atque organi, quamque clerum pernoscere omnino decet.

II. Esto igitur in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis, utrique clero recte conformando, brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exercitatio; quae si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post severiorum disciplinarum studium, alumnorum animis afferet. Auctior ita pleniorque utriusque cleri in liturgica musica institutione id certe efficiet ut ad dignitatem priscam splendoremque *chorale officium* restituatur, quod pars est divini cultus praincipia; itemque ut *scholae* et *capellae musicorum*, quas vocant, ad veterem gloriam revocentur.

<sup>1</sup> A constitutione nempe Pii X supra memorata.

III. Quicumque in basilicis aedibusque cathedralibus, collegiatis et conventionalibus religiosorum cultum moderantur et exercent, iidem totis viribus contendant ut rite, id est ad Ecclesiae praescripta, chorale officium instauretur; neque id solum quod ad commune praeceptum spectat divini officii peragendi digne semper, attente ac devote, sed etiam quantum ad canendi artem attinet; in psallendo enim, et iusta tonorum ratio curanda est una cum mediis suis numeris clausulisque ad sonum exquisitis, et congruens ad asteriscum mora, et plena denique concordia illa in psalmodicis versiculis strophis conclamandis. Quae si egregie efficiantur, omnes rite psallentes, cum suorum animorum in adorando Deo unitatem mirifice ostendant, tum, in moderata duarum chori partium vice, sempiternam illam Seraphim laudem, qui clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* aemulari videntur.

IV. Ne quis autem in posterum faciles excusationes praetexat ut ab officio Ecclesiae legibus parandi liberatum se existimat, ordines canonicorum omnes ac religiosae eadem communitates de his rebus in statis coetibus agant; et quemadmodum olim *cantor* erat seu *rector chori*, ita in posterum in canonorum et religiosorum chorus aliquis eligatur peritus, qui cum liturgiae cantusque choralis normas in usum deducendas curet, tum singulorum vel chori universi vitia emundet. Quo in genere praetereundum non est, ex veteri constantique Ecclesiae disciplina atque ex ipsis capitularibus constitutionibus quae adhuc vigent, quotquot ad chorale officium tenentur, eos omnes saltem cantum gregorium rite pernoscere oportere. Cantus vero gregorius, in ecclesiis omnibus cuiusvis ordinis adhibendus, is est qui ad veterum codicum fidem restitutus, ab Ecclesia in editione authentica, vaticana typis, iam propositus est.

V. Capellas etiam musicorum iis omnibus ad quos spectat commendatas hic volumus, utpote quae, decursu temporum, in antiqua-

rum scholarum locum suffectae, eo pacto in basilicis maioribusque templis constitutae sint, ut polyphonicam praecepit musicam ibidem efficerent. Quam quidem ad rem, merito polyphonia sacra post gregorianum cantum altero loco haberi solet: ideoque vehementer Nos cupimus ut capellae huiusmodi, quemadmodum a saeculo XIV ad saeculum XVI floruerunt, ita hodie illic maxime renoventur ac revirescant ubi divini cultus frequentia et amplitudo maiorem cantorum numerum exquisitioremque eorum delectum postulant.

VI. Scholae puerorum, non modo apud maiora tempa et cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales aedes excitentur; pueri autem a capellarum magistris ad recte canendum instituantur ut ipsorum voces, iuxta veterem Ecclesiae morem, virorum chorus sese adiungant, maxime quum in polyphonica musica, ut olim, adhibendae sint pro supra voce, quae *cantus* appellari consuevit. Ex eorum numero, saeculo praesertim XVI, polyphoniae auctores peritissimi, ut est compertum, prodire, quos inter omnium facile princeps Ioannes ille Petrus Aloisius Praenestinus.

VII. Quoniam vero didicimus tentari alii cubi ut quoddam musicae genus resumatur, sacrorum officiorum perfunctioni haud omnino congruens, praesertim ob immoderatum instrumentorum usum, Nos quidem hic profitemur cantum cum symphonia coniunctum nullo modo ab Ecclesia tamquam perfectiorem musicae formam rebusque sacris aptiorem haberi; etenim magis quam instrumenta, vocem ipsam in sacris aedibus resonare decet: vocem nempe cleri, cantorum, populi. Neque est autem putandum incremento musicae artis Ecclesiam obsistere, quod instrumento cuilibet humanam vocem anteponat; siquidem nullum instrumentum, quamvis eximium atque perfectum, in exprimendis animi sensibus humanam vocem superare potest, tum maxime quum ipse animus ea utitur ut preces et laudes ad omnipotentem Deum extollat.

VIII. Est equidem Ecclesiae proprium musicum instrumentum maioribus traditum, *organum*, ut aiunt; quod, ob miram quandam granditatem maiestatemque, dignum habitum est ut cum liturgicis ritibus coniungeretur sive cantum comitando, sive, silente choro, ad praescripta, harmonias suavissimas elicendo. At vero in hoc etiam illa vitanda est sacri et profani permixtio, quae causa cum fabrorum qui organa conficiunt, tum modulatorum quorundam qui novissimae musicae portentis indulgent, huc demum evaderet ut de ipso ad quem destinatur fine mirificum hoc instrumentum deflecteret. Evidem ad liturgiae normas Nosmet ipsi optamus ut quaecumque ad organum spectant nova semper incrementa capiant; sed temperare Nobis non possumus quin conqueramur quod, ut olim aliis musicae formis quas merito Ecclesia prohibuit, ita hodie novissimis sane formis tentetur ut in templum profani spiritus inveniantur; quas quidem formas, si gliscere acciperent, facere non posset Ecclesia quin omnino damnaret. Personent in templis tantum organi concentus qui maiestatem loci referant ac rituum sanctitudinem redoleant; hoc enim pacto tum fabrorum in construendis organis, tum musicorum in eisdem adhibendis, reviresceret ad liturgiae sacrae efficax adiumentum.

IX. Quo autem actuosius fideles divinum cultum participant, cantus gregorius, in iis quae ad populum spectant, in usum populi restituatur. Ac revera pernecesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus liturgiae pulchritudine affecti, sic caeremoniis sacris intersint – tum etiam quum pompa seu processiones, quas vocant, instructo cleri ac sodalitatum agmine, aguntur – ut vocem suam sacerdotes vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alterent; quod si auspicato contingat, iam non illud eveniet ut populus aut nequaquam, aut levi quodam demissoque murmure communibus precibus, liturgica vulgarique lingua propositis, vix respondeat.

X. In hoc utriusque cleri industria desuet, praeeuntibus quidem Episcopis et locorum Ordinariis, ut, per se vel per alios rei peritos, liturgicam musicam populi institutionem current, utpote cum doctrina christiana coniunctam. Quod quidem facilis efficietur scholas praecepit, pia sodalicia certasque consociationes liturgicis cantibus instruendo; religiosorum autem, sororum ac piarum feminarum communitates alacres sint ad hunc finem assequendum in variis institutis quae sibi ad educandum et erudiendum concredita sunt. Itemque valde ad hanc rem valituras esse confidimus eas societas quae in nonnullis regionibus, ecclesiasticis auctoritatibus obsequentes, musicam sacram ad Ecclesiae leges restaurare contendunt.

XI. Ad haec omnia, quae sperantur, adipiscenda peritis magistris iisdemque frequentissim omnino opus est. Quo in genere, Scholis et Institutis illis, passim per catholicum orbem conditis, debitas laudes tribuimus; siquidem disciplinas huiusmodi diligenter docendo, praeceptores optimos idoneosque effingunt. Sed maxime memorare hoc loco ac dilaudare placet Pontificiam scholam musicae sacrae altius tradendae, quae inde ab anno MCMX in Urbe a Pio X constituta est. Hanc Scholam, quam deinde proximus successor Noster Benedictus XV studiose proveyit novaque sede donavit, Nos quoque peculiari quodam favore prosequimur, tamquam pretiosa Nobis hereditate a duobus Pontificibus relictam, eandemque idcirco Ordinariis omnibus magnopere commendatam volumus.

Constitutio concludit: « Evidem probe novimus, quae supra mandavimus, quantum studii postulant et laboris. At vero quis ignorat quam multa opera quamque magno artificio confecta, nullis devicti difficultatibus, maiores nostri posteritati tradiderint, utpote qui pietatis studio ac liturgiae spiritu imbuti essent? Neque id mirum: quidquid enim ab ipsa, quam Ecclesia vivit, interiore vita proficietur, mundi huius perfectissima quaeque

trascendit. Difficultates coepit huius sanctissimi animos Ecclesiae Antistitum excitant atque erigant nendum infringant; qui voluntati Nostrae concorditer omnes constanter que obsequentes, operam navabunt Summo Episcopo episcopalì suo munere dignissimam ».

## VARIA

## IN MENSEM MARTIUM

O saeve Marti, pessime mensium,  
Subversor anni, qui simul igneo  
Nunc sole ride, imbre rupto  
Nunc niger es, gelidus calensque;  
Quis te notavit nomine turbido  
Mavorte natum? Praelia nubibus  
Immittis, et silvas et undas  
Et pecudes hominesque misces.  
Hunc rauca tussis concutit; aestuat  
Hic febre dira; se dolor ossibus  
Irrepsit huic; pulmo huic laborat;  
Manat ei pituita naso.  
Sol fulget?! alis aura tepentibus  
Afflat; - frui iam possumus! - inquiet;  
Exis, bearis;... mox coactus  
Stare foco et soluisse vina.

Spectasti et atrox, tu nihil improbans,  
Brutum necantem cuspidem Caesarem  
Frustra loquutum: « Brute, fili!  
Tu quoque me laceras, inique? »  
Tuis in umbris Iscarius scelus  
Orditur atrum; Iudaicus furor  
Caedem parat IESU immerenti!  
Impietas scelerata in aevum!

Romae, Kal. Martii MCMXXIX.

ANGELUS NARDIS.

Magnus Venceslai, Boëmiae regis,  
animus.<sup>1</sup>

Venceslaus, Boëmorum rex, quaesitus ad necem a perfido Boleslao, sanguine quidem, non vero religione et moribus affini, quamvis saepe, regia potestate usus, poenas ab eo meritas repetere potuisset, tamen humanitate facilitateque eum sibi devincire maluerat, quam vinculis et cruciabibus domare. Sed frustra; ex templo enim quadam nocte de more redeuntem sine comitatu, uti modestum anachoretam, non principem deceret, Boleslaus ex insidiis prodiens subito aggreditur, districto gladio. Ictum Venceslaus perbellic irritum fecit; deinde, quippe cui arma, non animi deerant, adversarium repente comprehendens humi deiicit, iacentem premit spoliatus gladio; quo facto: « Surge - proditori fratri dixit -, neve timeas ob tantum scelus. Memento vero multo esse potiorem Abelis mortem, quam Caini vitam. Quod si Caini vestigiis inhaerere cupias, exple, infelix; desiderium tuum, et in optato sanguine bacchare: en, gladium reddo tibi, ne tam fera careas voluptate ». Haec loquutus, ense ad eius pedes projecto, abiit gradu lento et gravi, proditore relicto, nescio utrum stupore, an metu magis perculso.

## Vas aeneum et vas fictile.

Duas olim flumen trahebat ollas, alteram aeneam, alteram fictilem; aenea vero pondere proprio praegravata ac sibi prae- cavens, fictili anteeunti suadere coepit, ut coniungi sibi vellet, quo vehementer flu- minis impetum sustinerent, adjunctis utrinque viribus. Cui ait fictilis olla: « Soror mea, tua vicinitas mihi non admodum

<sup>1</sup> Italice scripsit P. SEGNERI.

probatur; nam sive unda illidat te mihi, vel me tibi, ut cutis dura te incolumem praestabit, sic conteret me fragilem ».

Fugienda est tenuioribus propinquitas potentiorum hominum.

Pro iudicibus mensarum elegan-  
tibus.

ESCARUM ORDO:

Ovi lutea in iure liquata.  
Pullus auratus cum pirulis oryzeis.  
Farcimen ex spinachiis.  
Assum vitulinum epityro conditum.  
Scriblita mantuana.

## Locosa.

Magister Tuccio:

— Euge! Si ab integro quattuor partes detraxero, quid reliquum erit?

Tuccius tacet. Instat alter:

— Rem exemplo exprimam. Si a per-

sico in quattuor partes diviso, aliam post aliam ipsas quattuor partes aufero, quid denique restat?

— Os!

Tuccius subiratus:

— Num potest magister discipulum poena multcare, quod veritatem dixerit?  
— Minime gentium!  
— Ecce igitur me puniit, quum dixi me descendis non vacasse?

## Aenigmata.

I  
Advolat, ignavumque aliena ad pabula currit,  
Mendaci vultus sive colore linit.

II  
Integrum constat, ruptum totiesque fatiscit,  
Vel sonitu trepidans allicit auriculas.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Calamus*; 2) *Tetru- studio*.

## STANISLAUS FUGIENS

[13]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

## SCENA III.

PAULLUS, FULCIUS.

PAULLUS.

Fulci.

FULCIUS.

Quis est?

O here, satin' salve?

PAULLUS.

Cur rogitas, cum obiiciatur mihi mali  
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque  
[quid agam certum siet.]

## FULCIUS.

Verum enimvero, ut te conficias cura, pro-  
[movebis nihil.]

PAULLUS.  
Intelligo: at consistere nihil consili quidquam  
[potest;]

Moerore differor, vacillat mihi mens aegri-  
[studine:]

An non sum ego miser?

## FULCIUS.

Nolo te hac nimia tristitia  
[maceres.]

PAULLUS.  
Quamecumque in partem converto animum,  
[observantur statim mihi  
Acerba omnia et iniucunda, nec ullus est  
[solatio locus.

FULCIUS.  
Hem vide, ut tantula res te deiiciat. Anne  
[istud tandem decet  
Praeditum ingenio tali, tam firmo?

PAULLUS.  
Graves tumidique spiritus  
Cessere nescio quo.

FULCIUS.  
Vultum quaeso paullisper erige:  
En hic tibi Bilinskius adest.

SCENA IV.

BILINSKIUS, FULCIUS, PAULLUS.  
BILINSKIUS.  
Paulle, si licet, dolere iam videris nimium  
[mulfebriter; Curam istam minue.

FULCIUS.  
Hoc et dudum ego suadeo, et ludo vanus  
[operam.

BILINSKIUS.  
Ehodum, ecquid nunc tecum tute cogitas  
Sic capite obstipo?

PAULLUS.  
Non potis sum proloqui omnia.

BILINSKIUS.  
Saltem dic aliquid, namque ego et hic Fulcius  
Prodesse fortasse possumus.

PAULLUS.  
Videtis ipsi quem in lucum  
Redactus infelix siem: isthac ratione a me  
[discedere  
Non esse veritum fratrem? Huius rei cum  
dissipabitur

Rumor, quantam mihi putatis orituram inde  
Et toti familiae labem?

BILINSKIUS.  
Populus id curat scilicet. Ite  
[fulcius.  
Aut quasi tu peccaris.

PAULLUS.  
Immo hoc mihi succenseo  
Maxume, quod culpa isthaec evenisse opinor  
[certe mea.  
Heu! nimis vehemens fui, nec monitis unquam  
[vestris parui,  
Qui mitiores sensus pectori ingerebatis meo.  
Nunc plector.

BILINSKIUS.  
Stultum est conqueri, quod corrigerem iam non  
[queas.

FULCIUS.  
Ego quoque sic sentio.

PAULLUS.  
Quid dicam, aut quomodo sperem patri  
Purgare memet?

BILINSKIUS.  
In utramvis aurem potes conquiescere,  
Si totum hoc negoti tu prorsus relinquas mihi.

FULCIUS.  
Sic faciendum est.

BILINSKIUS.  
Noxiā in illum aliū transferam.

FULCIUS.  
Perfacile est sane huic.

BILINSKIUS.  
Quin, Fulci, vel cuivis facillimum,  
Tot quando concurrunt caussae; sed quos  
tristities afficit,  
Ii tristia omnia, quae futura sunt, sibi solent  
[fingere.

FULCIUS.  
Recte dictum.  
(Ad proximum numerum).

PAULLUS.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor,  
ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.